

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertatio Inavgvralis Medica Sistens Paradoxa Medica
Secvli XVIII. Paene Affecti**

Langenbeck, Conrad Johann Martin

Ienae, 1798

VD18 12442488

urn:nbn:de:gbv:45:1-8175

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS

PARADOXA MEDICA
SECVLI XVIII. PAENE AFFECTI

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO
CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLLACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET
GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRO GRADV DOCTORIS
SYMMSQVE IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS
AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQVENDIS

A. D. xxxi. MARTII. clxxxviii.

PVBLICE DEFENDET

A V C T O R

CONRADVS IOANNES MARTINVS
LANGENBECK

HORNEBVRGO - BREMENSIS

I E N A E,

LITERIS FIEDLERIANIS.

#4

*Antiqua
Gymn.*

23

73





DISSELTATIO ENANGIAPALIS MEDICAE
L. A. R. A.
EMERITUS
G. A. R. O.
P. R. O.
C. O. N. T. R. A. D. U.
L. I. B. R. A. R. I. I.
S. T. A. T. I. S. T. I. C. I. S.



VIRO EXCELLENTISSIMO

GOTTHELF DIETERICO DE ENDE

AVGVSTISSIMO MAGNAE BRITANNIAE REGI A CONSILII IN-
TIMIS PRAESIDI COLLEGIORVM REGIORVM PER DVCATVS
BREMENSEM ET VERDENSEM REGIONIS HADELENSIS
PRAEFECTO SVMMO REL.

VIRO PERILLVSTRI ATQVE GENEROSISSIMO

IOANNI GEORGIO DE VSLAR

AVGVSTISSIMO MAGNAE BRITANNIAE REGI A CONSILII
REGENDORVM DVCATVVM BREMENSIS AC
VERDENSIS CET.

VIRO PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO

MAVRITIO DE BORSTEL

AVGVSTISSIMO MAGNAE BRITANNIAE REGI A CONSILII
REGENDORVM DVCATVVM BREMENSIS AC
VERDENSIS REL.



VIRO EXCISISSIMO

ARTIS MEDICINALIS PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLVIT

SIMVLQVE PALAM TESTARI VOTA PIA MENTE
CONCEPTA

SYMMVS VT RERVVM ARBITER

ET IPSOS ET AMPLISSIMAS SPLENDIDISSIMASQVE FAMILIAS

SERVET QVAM DIVTISSIME SALVOS SOSPITES INCOLVME

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS
IOANNES MARTINVS LANGENBECK
BREMENSIS.



PRAEFAMEN.

Seculum XVIII. quo vivimus, paene adfectum et consummatum est, funestissimi belli strepitu, hominum caede ac clade flebili, populorum rapinis et praedationibus, terrarum vastationibus, rerum novarum studio, opinionum commentis, internecino regum nobiliumque odio, rerum publicarum excidio, aliarum conuersione, novarum fundatione, iuris gentium recepti, legum auitarum auctoritatisque regalis abolitione, ciuibus longe tristissimum, postgenitis in aeuum memorabile. Populis aliis data est libertas, fraternitas et aequalitas, aliis libertas in perpetuum erepta, seruitus reddita, etiam commendata impensius humanitas, scripta sunt iura hominum noua, deleta priuilegia, reddita et resumta aurea poetarum secula. Ecquid nobis maius et praestabilius ad veram felicitatem stabiliendam et firmandam superiorum voluntate dari porrigique poterat? Credimus dictis, assentimus

A

specio-



speciosis et probabilibus argumentis, fallimur callidis
 verborum lenociniis, quaerimus noua bona, perdimus
 vetera, sed bene parta cupiditate habendi: Accidit nobis,
 quod canis in fabula. Redit nouus rerum et opinionum
 ordo: Exiit deus feliciter! Iurgia iactant eruditi, nouas
 cogitandi, credendi viuendique regulas scribunt, aliter
 sentientes alto spernunt supercilio, lucem tenebris obii-
 ciunt, inuitis obtrudunt. Utinam lux oblata semper be-
 nigna sit, vitae beatae apta, iniquitate sceleribusque li-
 bera!

Neque vero medici torpent ac dormiunt, cum talis
 tantaque lux vniuerso mundo affulgeat. Facti sunt in-
 telligentiores et perspicaciores scilicet! Posito praeiudi-
 cio, spretis maiorum patrumque opinionibus, vtuntur
 libertate sentiendi, docendi et scribendi reddita, more
 theologorum missos faciunt libros symbolicos, quos
 scripsit antiquitas, rumpunt vincula, excutiunt iuga im-
 posita, sibi sapiunt, sibi plaudunt scilicet. Haec demum
 est vera libertas, sub finem seculi reuocata et omnibus
 restituta! Non pendemus amplius ab ore magistrorum
 vetera somnia et deliria profitentium, nullius auctoritati
 adfurgimus, neminem veremur: Non datur codex do-
 ctrinae medicae omnibus scriptus seculis. Scribit huma-
 no corpori leges secundum affinitatem et misturam che-
 micus,

micus, appellat alius organifmum, alius vim nervorum
et vitae, negat iterum alius, reiicit et damnat pathologus
nouis vetera nomina, materiam peccantem, acrimoniam,
errorem, metatlafin, crifin et ipfa naturae molimina:
Abfurda funt fomnia ilicet! Redit ergo nouus cauffarum
morbificarum et ipfius medicinae ordo, noua traditur
pathologia fub auctore BRVNONE atque adfeclis ftrenuis,
WEIKARDO, FRANK, RÖSCHLAUB cet. Iam facillima pra-
xis eft, adftricta quafique alligata foli debilitati directae
et indirectae, methodus ergo medendi inuenta in perpe-
tuum eft certiffima. Morbi funt fthenici et afthenici,
ergo remedia fine labore multo in promptu funt. Denta
caligine, reddita caecis medicis poft multos variosque
errores vera curandi ratio eft, fed etiam data multiplex
rixandi difputandique materia. Quid ergo mirum, fi
ego, ad metam artis medicae delatus, dubius haeream,
vt HERCVLES in biuio pofitus, et anceps nesciam, quid in
medicina theoretica certum fit, quid in practica fequen-
dum et adhibendum effe videatur? Acriter difceptant
medici veterani, et adhuc fub iudice lis eft. Liceat ergo
mihi, fummos in medicina vtraque honores ambiendi,
ex inftituto maiorum eligere materiam et viribus, et
tempori aptam, liceat fcribere *paradoxa medica*, eoque
nomine comprehendere, quae nuper in medicina noue
dicta et fcripta funt, aliis plaudentibus, aliis refraganti-



bus et confutantibus. Certe mihi haec videntur ita esse comparata, vt, vtra in parte sit veritas, nondum definire possimus. Infunt multa, quae probabiliter et ingeniose dicta censeas, vera et omni exceptione maiora minime.

I. *ORGANVM ANIMI.*

Peruetus est philosophorum dissensio et varia disputatio, dentur animi hominum, nec ne, materiae expertes et immortales sint, an fluxi et cum morte corporis perituri, et quot capita, tot opinionum commenta litteris prodita sunt. SOCRATES in Phaedone probabilem esse animorum perennitatem statuit, perhorreicendum videri interitum. Recreat CATONEM *) senem cogitatio immortalitatis, neque persuasionem suauissimam animos hominum immortales esse sibi extorqueri a philosophis voluit. Inest cuique bono talis futuri praesensio, quae hominem sperare post fata iubet praemia vitae bene actae sceleribusque purae. At vero non defuerunt inde a prisca aetate philosophi et medici, qui animum nec simplicem esse, sed materiae participem, eum ergo cum corporis morte extinguí et interire posse contenderent, vñ argumentis speciosis et

*) Cic. De Senect. c. 23.

probabilibus. Nuperrime ipsi theologi dubiam esse animorum immortalitatem audacter professi sunt, neque vlllo modo ex sacris litteris demonstrari posse superstitibus fore animos, neque certam esse traditionem, CHRISTVM nostrum mortuum in vitam meliorem et locum diuinae naturae rediisse. Quod si verum est et omni exceptione maius, doleo hominum sortem, quibus sophistica disputandi ratione spes omnis demitur, et post multas miseras ipsa illa vita rapitur, quae sola vita est nominanda. Meliorem viam mihi ingressus esse videtur CATO *) senex, cui nunquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, viuere, cum exissent ex iis, emori, nec vero tum animum esse insipientem, cum ex insipienti corpore euassisset, sed cum omni admixtione corporis liberatus, purus et integer esse coepisset, tum esse sapientem cet.

Etiam disputatum est de sede animi. Qui si datur corpori admixtus et confociatus, alicubi eum residere verosimile est: Si ab effectis colligas ad locum, disperfus propagatusque per omne corpus esse videtur; Sensus enim neruorum, sine quo animus efficiens nec esse, nec cogitari potest, ybique se prodit, sed in intimo cerebro, tanquam in adyto, definit. Si spectes sensus stricte tales, tactum, gustum, olfactum, visum, auditum, initium quidem
 feri

*) L. cit.

fieri ceruimus in certa parte, finem vero esse in intimis cerebri, quo affecto vel laeso, illa sensus instrumenta vel abolentur omnino, vel per consensum hebetiora et imbecilliora ad tempus fiunt. Hasc sine dubio causa fuit, ut et philosophi, et medici commune sentiendi instrumentum in cerebro esse statuerent, pauci, v. c. UNZERVUS *) etc. negarent, alii, v. c. BONNETVS**), tantum aliquam cerebri partem animo vindicari posse censerent. Quae vero illa sit, haec quaestio erat per ardua et definitu difficilis, hoc vnum videbatur probabile, locum, in quo lateat, esse eum, quo nerui confluunt quasque coeunt. Tunc vero iterum quaeritur, quinam prae aliis sit. Glandulam pinealem, corpus callosum et striatum, septum cerebri, centrum ouale, cerebellum, pontem, corpora quadrigemina, thalamos neruorum opticorum et medullam spinalem nominant haud contemnendi auctores, cl. SOEMMERRING ***) cuiuslibet cerebri iura sua vindicat, sed ita, ut sibi ipse non constet, et paruum medullae cerebri partem haud sufficere constituendo communi sentiendi instrumento contendat. ****) Quanta, quaeso, opinionum congeries, quae anatomicorum et physiologorum deliramenta! Animus ergo inclusus variis locis est, vel vbiq̄ue est,

*) Erste Gründe der thier. Physiologie §. 20. et 25. p. 34—40.

**) Opp. T. V. p. 2.

*** Hira- u. Nervenlehre § 45. seq.

****) Ib. §. 98.

est, per omne corpus diffusus quasque in partes diuisus. Quantum est in rebus et coniecturis doctorum hominum inane!

Nuperrime idem ille SOEMMERRINGIVS *) negat hanc sedem quaerendam esse in parte solida, vt communis fert opinio, magis in fluido, quod inest ventriculis cerebri. Credit ergo sibi que persuasum habet latere in humoribus vim quandam vitalem, quae animet et in motum cieat solida, hoc fieri cum maxime in cauis cerebri, et motum istum ex neruorum sine per se transire velutique propagari in humidum, quod ventriculis cerebri continetur. Ego vero cum pace cl. viri non possum assentire ac subscribere opinioni nouae, quae solis nititur coniecturis. Dari posse vereque esse in sanorum hominum ventriculis aquam quandam, ex parte concesserim, cum caua ipsa gaudeant vasis exhalantibus, sed quid inde sequitur, nisi hoc, fibras cerebri solidas egere quodam humido, vt recte fiat sentiendi cogitandique actio? Est ergo aqua habenda pro materia quadam intermedia **), sine qua sensus nullus est, sed quomodo hinc colligi possit aquam esse ipsam sedem animi, equidem non satis perspicio. Fuere
ma-

*) Ueber d. Organ der Seele. S. 35. f.

**) Ipse auctor dicit, das vereinigende Mittelglied ist die Flüssigkeit der Hirnhöle.

maniaci *), quorum cerebrum post mortem esset praesiccum, fuerunt etiam, in quibus esset nimis molle ac fluxum, hinc coniectare licet, animum vigere ac agere non posse sine admixto vel superillito humido, minui ac prorsum tolli, mutata humidi forma, id est, si nimis vel adfluat, vel minuatur. Sin vero humidum constituit originem et sedem animi, mirum profecto est, iuuari et laedi ab eadem causa posse: Id quod affirmat vetustissimus auctor, HIPPOCRATES **), vel quisquis libelli auctor est, et caprarum epilepticarum exemplo abunde docet, quorum cerebrum, si infecatur, humidum, et sudore redundans, et male olens deprehenditur. Si animus immergitur aquulae Naiadum more, sequitur, vt semper adsit aqua in cerebri ventriculis. Iam vero in hominibus recens decollatis et adhuc calidis alii anatomici inquisuerunt in ista caua, nec reppererunt quidem guttulam, ideoque non male colligimus, aqua cum in viuis adsit, eam nequaquam esse animi sedem dicendam. Fac vero, cerebrum puerorum egregie sapientium paullo humidius esse, aquam cerebri ventriculis inclusam tenuiorem, mobiliorem et actioni naturali aptiorem, quae hinc deriuari possint, non habeo: Enim vero solam aptitudinem maiorem

*) *Greding Verm. med. Schrift. Altenb. 1781. et Ludwig Adversar. medico. T. I. n. 2. p. 111.*

***) *L. De Morb. lacr. p. 307. ed. Foef.*



rem ostendunt. Cetera, quae scribuntur, sunt mere coniecturalia, neque ad stabiliendam coniecturam refert, quid THALES philosophus somniarit, quid alii de vi vitali fluidis insita pronunciariat vel cogitando anticiparint: Haec enim ipsa pro coniecturis sunt, neque possunt pro fundamento nouae opinionis certo haberi.

Restat alia, eaque probabilis coniectura, quam scripsit summus seculi nostri philosophus, KANTIVS *), vt firmiorem certioreinque faceret SOEMMERRINGII sententiam. Pro mechanica sensus communis sede adhibendam censet organisationem quandam dynamicam, principiis chemicis superstructam, negat contra cl. HARLESIVS **), et recte contendit, hanc iterum niti quadam coniectura, neque probari vnquam posse eam esse vel veram, vel fugacem, ideoque obscuram rem per aliam aequae obscuram explicari debere, ergo non dicendum esse *πρῶτον ἀσθητήριον*, falsam esse et principiis chemicis aduersam actionem aquae cerebri ventriculis inclusae, quatenus continua decompositione consistere debeat, hinc fieri nullo modo posse,

vt

*) Ap. Sömmer. I. cit. p. 84.

**) Beiträge zur Kritik d. gegenwärtig. Zustand. d. Arzneywissenschaft. 1. Stück, S. 133. f.

B



vt illa aqua sit animi organum. Nihil ergo relinquitur, nisi hoc, vanum et irritum esse in opinione improbabili mutuum aliorum adiutorium.

Missis ceteris confutandi argumentis, miror philosophorum arrogantiam, medicorum in affirmando audaciam, qui, cum nesciant, animus sit, nec ne, simplex, an compositus, admixtam materiam habeat, nec ne, volunt tamen animo assignare locum certum et immutabilem, in quo, tanquam in carcere, inclusus per omnem vitam haereat. Etenim animus, si immortalis et caelestis est, vt prudentiores philosophi et medici profitentur, non potest habere in se quidquam materiae, dispar sui atque dissimile, nec principium motus in fluido esse, cum se ipsum animus moueat, neque diuidi posse, quia partibus non constat, nec diffundi ac diduci per omnes corporis partes, vel alicubi conclusus latere, quia hoc materiae proprium est; Sin vero animus materiae confors est, ideoque mortalis, cum materiae contraria sit aeternitas, equidem scire aueo, quomodo ei describi possit locus proprius, in quo, tanquam domo sua, commoretur, quomodo inesse materiae aquosae possit tanta celeritas, vt animus inde illico cieatur in motus varios et incredibiles, et raptim apprehendat, quae sola cogitatione consistere videntur: Haec vero non conueniunt humido, ergo non potest isthoc humidum,

midum, quod ventriculos cerebri alluit, pro animi domicilio haberi.

II. VIS VITAE.

Hominem vivere colligimus ex variis animi corporisque motibus, vim vitalem partibus corporis insitam inesse hinc coniectamus, quod irritamentis externis ac internis afficiantur et in motus cieantur, quiescere, sicubi absint stimuli, imminui et prorsum tolli, si aptitudo recipiendi stimuli vel paullum infracta, vel prorsum sublata est. *Vitam* ergo quaerimus in *solidis* repositam, etsi non desint auctores magni nominis, ALBINVS *), PLATNERVS **), METZGERVS ***), VAN MAANEN ****), BRANDISIVS †), SOEMMERRING ††), OSIANDER †††) cet. qui *fluidis* eam vim vnice adscribant. Habent singuli sua argumenta, quibus opinionem nouam confirmare ac stabilire audeant, ego vero, quae vis vitalis in aqua ceterisque

B 2

fluidis

*) De Natura. Hom. §. 51.

**) Quaest. physiol. L. II. p. 179.

***) Exercit. anat. p. 147.

****) Diff. de Abforpt. solidor. L. B. 1794.

†) Von der Lebenskraft S. 16.

††) L. cit.

†††) Neueste Denkwürd. B. I.



fluidis inesse possit, mihi animo fingere non possum. Vis enim vitalis requirit insitam quandam agendi potentiam, quae, admoto stimulo, possit, ut ignis ex silice, euocari et in actum peruenire, fluidum vero quodcumque per se sine solidis nec mobile, nec agile esse solet, pendet ergo ab incitamento extra posito et applicato, ideoque mihi habere videtur, si quid largiendum affirmantibus sit, vim passivam, ut recentiores medici, morbos actiuos et passivos statuentes, nominant, etsi quae vera notio verbo subiecta sit, equidem non satis video. Mihi enim pati et agere videntur esse opposita.

Neque vero de hoc solo disceptatur, sed etiam de natura et sede vis vitalis propria. Si vita hominum est vnica, videtur etiam vis illa, vnde vita pendet atque dimanat, vna putanda esse. Jam vero alii adsumunt plures virtutis vitalis formas, *contractilitatem, irritabilitatem et sensibilitatem*, eamque ita distribuunt, ut cuique visceri, quatenus actum ostendit, vitam propriam et stimulos proprios sine specificos attribuunt, quasque in infinitum multiplicent. Sed neruis sensum inesse negant viri clarissimi, REIL et RÖSCHLAVB *), animoque soli adscribunt, ambigua ergo reddunt placita physiologica et pathologica, huic functioni, tanquam fundamento, superstructa. Cadit ergo

*) Untersucht. über Pathogenie P. I. p. 219.

et ipsa irritabilitas specifica, id est, vita organi propria. Alii solam irritabilitatem, alii solam sensibilitatem *), alii demum utramque **) vim locum habere posse contendunt, BRUNO ***) in incitabilitate ponit vitae omnis fontem et scaturiginem, ait iterum cl. NOSE ****) vim vitalem esse unam, uniuersalem, necessariam, sed incognitam. Quaeritur ergo et disputatur acerrimo animorum motu de vi vitali eiusque natura, neque sciunt opinionum auctores et coniecturarum artifices, quaenam illa sit, et quo in loco habenda, virtus, aptitudo, an qualitas dicenda videatur. Denique errasse omnes scribit cl. RÖSCHLAVB, vitale principium nihil esse, nisi quandam organicae materiae facultatem impressiones externas assumendi et reddendi, vim vero dicendam esse minime, vitam ipsam sine stimulis externis esse et consistere nullo modo posse. Quid ergo vita sit, nesciunt omnes, et tamen, quasi recte scirent, decernunt, ut iudices in tribunali sedentes, in fontes vitae paullo ambitiosius inquirunt, visis externis freti, falli nescii, at vero fontes, e quibus hauriunt, certi et satis limpidi sint, an turbidi, non inquirunt. Deliris ergo et suauiter blaterantibus similes mihi esse

*) Schaffer Vertheid. d. Sätze über Sensibil. als Lebensprincip. Frankf. 1793.

**) Metzger über Irritabil. u. Sensibil. als Lebensprincip. Königsb. 1794.

***) Elem. Med. P. I. c. 2. §. 14. p. 3. ed. Mediol.

****) Vid. Schafferi lib. cit. p. 47.



esse videntur, cum qui audacter affirmant, tum qui praefracte negant. Nusquam est, quod studiosissime quaerunt vel ostentant, hinc contortulae conclusiunculae, quae in utraque parte legimus propositas, recte dixeris docta deliramenta, intra quae veritas vix et ne vix quidem consistere possit. Etiam BRUNO scribit vitam a solis externis stimulis proficisci. Audio, sed scire cupio, unde motus cordis perpetuus sit, quomodo vita perpetuare possit in syncopiacis, quibus nullum incitamentum extrinsecus allatum est.

III. VIRES NATURAE MEDICATRICES,

Legitur apud vetustissimum auctorem, HIPPOCRATEM, decretum per secula longe clarissimum, *natura est medica, hinc posteriori aetate superaddita est alia lex, medicus naturae minister, non dominus.* Videbatur ea naturae vis atque potestas, qua morbos et acutos, et longos, vel sine medicis, vel cum peruersa medicina, sponte ac tuto curat, adeo firma, immutabilis et inconcussa esse, ut medici Hippocratici sine ea nulli esse vellent, et prudenter applicando ista praecepta vires corporis commode dirigerent, nimias i. e. incitatas minuerent, depressas i. e. debilitatas erigerent, vacillantes sustentarent, eaque via morbos ad
bonum

bonum exitum ducerent. Quod dum facerent sedulo, neque negligerent aliam regulam vere auream, *medicina* i. e. ars curativa, est additio vel detractio, non poterat non veritas decreti Hippocratici continua observationum copia indies confirmari et in perpetuum stabiliri. Ita demum per longam seculorum seriem nemo, nisi novator, ausus est contra dicere ac negare, quae communi medicorum opinione ac experientia videbantur esse, omni exceptione superiora. Ceteri fere exemplis docuerunt, quanta sit harum virium in sanandis morbis potestas, scripserunt GAVBIVS *), HECKERVS **), WEIDMANN ***) , WESTHOFEN ****) vel praestantiam huius doctrinae, quae si rite intelligatur dextreque adhibeatur, falsa esse non solet. Inest corpori vis nutriendi, vulnera conglutinandi, inutiles et mortuas partes suppuratione tollendi, valetudini aduersa excretionibus spontaneis foras expellendi, febrem excitandi et ipsos morbos longos arcendi cetera. Sponte finiuntur morbi gravissimi, et pro insanabilibus habiti, sponte restituuntur aegri desperati et a medicis deserti, neque recte dixeris, vulnus a chirurgo curatum, febrem a medico esse persana-

*) Pathol. Introd. §. 18. et cap. 13.

**) Allgem. Heilkunde §. 600. et Archiv für die allgem. Heilk. B. 2. 1. p. 3. seq.

***) De abusu cauter. candent. ad separand. part. oss. mortuas annotatio. Mogunt. 1797. p. 7. cf. De Necros. Ossium.

****) Ueber die Heilung der Wunden, Mainz 1797.



tam. Nihil enim egerunt in isthoc opere, nisi quod offensam minuerent, noxam e partibus, si fieri poterat, eximerent, vel fomentis mollibus locum incitatum, tensum ac inflammatum laxarent, febrem sanguinis missione, refrigerantibus medicamentis et potionibus, alui lotionem rel. frangerent, haec vero artis praesidia, nisi corpori aegro inesset quaedam vis salutaris et prouida, pro vanis et irritis habenda forent. Inest v. c. cantharidibus potestas cutim et fibras aegri stimulandi et incitandi, humorem serosum alliciendi, vim vitae fessam quasque sopitam refocillandi, at vero nihil valent, si haec ipsa vis paralyticis et morientibus deest. Dantur remedia sudorem cientia, haec vero in imbecillo et moriente homine quidem sudorem cient, sed frigidum, neque iuuant, Quid ergo causae subest? Deest vis vitalis, quae sola salubrem effectum producere potest. Debet ergo hoc praeter ceteris medico esse propositum, vt vires istas prudenter moderetur, et si sufficiant morbo abigendo, magis cunctando, quam temere agendo, incitando et stimulando personam suam tueatur.

At vero ista naturae vires salubres, quas medici per secula iactitarunt, nullae sunt sub auctore BRVNONE et qui eius ab partibus stant, quin cl. RÖSCHLAVB *) eam doctrinam absurdam et vanam nominat. Quo iure, equidem

non

*) L. cit. §. 196. p. 164. seq.

non video. Ait enim, non est quaedam priua vis, quae morbis medeatur. Ecquis vero veterum et recentiorum medicorum talia dixit et scripsit, vel auxilium artis procul esse voluit? Hoc enim docent et exemplis ab experientia ductis satis superque probant, vim eam insitam, qua vita continetur atque sustinetur, in morbis quam maxime conferre ad salubrem exitum, omnemque medici artem in eo esse positam, vt, quo illa tendat, recte calleat i. e. succurrat, si opus est, auferendo vel addendo. Non ergo assumitur noua vis, quae ante afuerit a corpore viuo, sed pro loco, et tempore, et effectu, quo ea cernitur, vim vitalem appellant medicam, non est ergo dicenda qualitas occulta, cum sensus ipsos incredulorum feriat et in oculos influat. HIPPOCRATES senex in Aph. scribit, *quo natura vergit, eo ducenda est materia*, tunc vero nihil quidem intelligit, nisi vim eam naturalem et ad certum scopum directam, vt valetudo aduersa viribus insitis quam commodissime auferatur, ideoque iubet, vt medicus, quid factu hoc in casu opus sit, quam diligentissime attendat, et coeptam viam prosequatur. Secundum BRUNONEM sola incitabilitate vis sanandi constat, eamque satis perspectam habere debet medicus, si bene ac apte curare velit. Quid amplius? Sub alio nomine eadem narratur fabula. Morbus a solis externis impressionibus nascatur, nec ne, alia sumtio est. Fac enim, ab re externa siue opportunitate, vt BRUNONIS sectatores dicunt, primordium vitae et



morbi fieri, tamen, nisi intus sit quaedam vis, quae reci-
 piat istam impressionem et in actum perducatur, morbus
 ipse non nascitur. Falsa ergo est conclusio, quae hinc
 minus bene repetitur, ergo certius argumentum, quo niti
 possint, anquirendum est. Si qua pars corporis vulnerata
 et laesa est, fabricam ipsam affectam esse video, medicum
 noxam auferre debere, quae viribus internis (innere
 Wirksamkeit) resistat, hoc equidem perlubenter largior,
 neque repugno, curationem hac via factam esse beneficio
 naturae (Lebensverrichtungen) attribuendam. Quid ergo?
 Nonne dantur vires naturae medicatrices? Auctor con-
 trariae opinionis cl. RÖSCHLAVB non habet notionem
 rei, de qua disputatur, animo satis informatam, quia
 medici Hippocratici nolunt eas sumi eo sensu, quo ipse
 contendit. Ea vis vitae semper inest corpori sano, qua-
 tenus actione ac egestionibus naturalibus utitur pro auer-
 tenda noxali materia, inest etiam corpori aegro semper
 actuosa, sed ita, ut primum resistat morbosae incitationi,
 deinde, augmento virium naturalium dato et resumto,
 expellat inuisam vitae materiam, et corpus ipsum ad ae-
 quilibrium incitationum et virium, i. e. ad sanitatem
 pristinam perferat. Non ergo caecam quandam vim assu-
 mimus, quae sponte agat et peragat omnia in hominum
 salutem, neque volumus medicum nihil in morbo curan-
 do agere, vel omnia naturae committenda esse, iubemus
 potius, ut fracta essa sint apto loco et positu, et e vul-
nere

nere sclopetario eximantur aliena, item febris ea moderatione sit, vt nec nimis aucta, nec valde depressa esse videatur, hoc vero iure nostro quaerimus, vnde callus, quem exempli loco nomino, oriatur. Ait auctor, eum esse habendum pro restitutione imperfecta, quae ab iusto virium vitalium moderamine pendeat. Audio, sed si haec satis vera et vsu multo comprobata sunt, non possum non etiam affirmare ac contendere, vires medicas esse certas, non vanas atque irritas: Callum ipsum, vt fructum, tulerunt. Dantur etiam casus, in quibus chirurgus noxam tollere nec potuit, nec voluit, et aeger fato suo relictus breui restitutus *) est. Sin ergo non dantur vires medicae, sanatio vulnerum longe grauissimorum et periculosissimorum vnde demum venerit, scire percupio. Praeceptorum optimo, Perill. GRVNERO, debeo obseruationem huc praeclare facientem. Femina laborat ano artificiali, paullo intemperantior, gulae dedita et adeo furiosa, si quid dissuadebatur, quod appetebat, vt vel ipsum maritum renitentem exhereditaret. Non deerat feminae gulosae et rixosae potestas nocendi, dimittebantur medicus et chirurgus, vt inutiles monitores et morosi homines, aderat idem peruersum viuendi genus quod ante, et nihilo secius sponte sua conualuit aegra, vulnus cicatrice obductum ac clausum est, aliud naturalis reddita. Vnde, quaeso, salubris illa rerum commutatio? Nisi corpori aegro

*) Vid. *Westhofen* 1. cit.



aegro insunt vires commodae, quibus vulnus apte glutinatur redditurque sanitas, a miraculo propius abest curatio. Jam vero medici, quod physicorum est, faciunt, i. e. physice explicant euenta medica, et sanationem spontaneam, cuius nulla datur alia explicatio, repetunt a viribus naturae solis, ergo redarguendi nullo modo vel pro stultis habendi sunt, si HIPPOCRATIS auctoritate freti, observationibus omnium seculorum confirmati, dari tales vires statuunt, easque in morbis prudenter dirigendas esse profitentur. Non mehercle vanum est, quod experientia dictat, ratio confirmat. De nomine ac loco disputare, hoc mihi quidem longe vanissimum et ostentationi proximum esse videtur.

T H E S E S.

- I. Metastases nullo modo negari possunt.
- II. In gonorrhoea sub stadio inflammationis iniectiones iam relaxantes, quam adstringentes inutiles et perniciosae sunt.
- III. In gonorrhoea venerea siue maligna semper mercurius adhibendus est.
- IV. Lingua sordida et gustus peruersus non semper sordes gastricas indicant.
- V. In febre neruosa non semper vis neruorum imminuta, sed etiam aucta subest.
- VI. In hypochondriasi minime resoluentia et euacuantia, sed resoluentia vna cum incitantibus adhibenda sunt.
- VII. Daemoniaci, quorum mentio fit in N. T. non sunt, nisi morbo graui laborantes, minime vero a daemone obsessi.
- VIII. Sepulchra et templis sunt remouenda.